

nus cessavit a me, aut cessare in hac tota vita potest: timeri et amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed ut inde sit gaudium, quod non est gaudium? Misera vita est et foeda jactantia. Hinc fit vel maxime non amare te, nec caste timere te. Ideoque tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam, et intonas super ambitiones saeculi, et contremiscunt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quaedam humanae societatis officia necessarium est amari et timeri ab hominibus, instat adversarius verae beatitudinis nostrae, ubique spargens in laqueis: euge, euge! ut, dum avidè colligimus, incaute capiamur, et a veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus; libeatque nos amari et timeri non propter te, sed pro te; atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam caritatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere in aquilone (Jes. 14, 14), ut te perversa et distorta via imitanti tenebrosi frigidique servirent. Nos autem, Domine, pusillus grex tuus ecce sumus; tu nos posside. Praetende alas tuas, et fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto; propter te amemur, et verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur in desideriis animae suae, nec qui iniqua gerit benedicatur (Ps. 9, 24. sec. LXX), sed laudatur homo propter aliquod bonum, quod dedisti ei, at ille plus gaudet sibi laudari se, quam ipsum donum habere, unde laudatur, etiam iste te vituperante laudatur. Et melior jam ille, qui laudavit, quam iste, qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quam Dei.

CAPUT XXXVII. AMORE LAUDIS VEHEMENTER INCITATUS EST.

Tentamur his tentationibus quotidie, Domine; sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua.